



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI
TRES ||**

Schottus, Franciscus

Antverpiae, 1600

Fanvm Fortvnae

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

vt ab agasonibus ac mulionibus, qui merces inuehunt, magis quàm à nautis vrbs frequentetur. Colonia Romanorum simul cum Pollentia facta est anno post urbem cōditam DLXIX. P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licino cōs. quadriennio post Bononiam deductam, vt Linius & Velleius Paterculus auctores sunt. Eandem paulò ante bellum Actiacum, cum eò M. Antonius III vir colonos rursus deduxisset, terræ hiatu absorptam periisse, Plutarchus in Antonij vita memoriæ prodidit.

Visa satis ciuitate, ad palatium Ducis ibis, vbi inter cetera Armamentarium videas, bellicorum instrumentorum armorumque elegantissimorum copia & varietate instructissimum.

Hinc rectà per *Fannum Fortune*, atque inde per littus Senogalliam proficiscere.

FANNVM FORTVNÆ

A Celebri quondam *Fortuna templo* nominatum oppidū non ignobile est, in via Flaminia positum; in agro bono fertilique, oleo persuaui, frumento vinoque præstantissimo abundanti. Coloniam eò deductam ab Augusto colligunt plures, cum is, vt Suetonius scribit, duodeviginti Colonias deduxerit; & ab ipsius nomine hanc coloniam *Iuliam Fanestrem* appellatam antiquitus fuisse, Pomponius Mela, & plures antiquæ inscriptiones testentur, quæ ibidem repertæ sunt. Eandem ab Augusto cinctam muro, & à Constantini Magni filiis Constantio & Constante restauratam fuisse, demonstrant muri vetusti reliquiæ, & arcus marmoreus portæ, qua per Flaminiam Roma venientes intrant; pulcherrimè & magnificentissimè cum suis titulis elaboratus: qui integer ferè ad Pij secundi Pontificis Maximi tempora

ra permanferat. Tum bello contra *Fanenſes* tormentis ferè dirutus, cuius tamen effigies in proximo ſacello *Dini Miſhaëlis* ad rei memoriam inſculpta parieti eſt, impenſa publica Fanenſium. Apparent item in oppido marmora cum titulis vetuſta ædis *Fortuna*, aliorumque publicorum ædificiorum veſtigia multa: quamuis Gothicis variisſque cladibus aliis ſæpius deſtructum fuerit.

Flaminia relicta, cum *Metaurum* tranſieris, oſtenduntur à dextris non multis paraſangis inde ſita in eo tractu loca, cruentis præliis inſignia, & magnorum Ducum victoriis celebra: ubi *M. Linius Salinator*, & *C. Claudius Nero* Conſules *Aſdrubalem* *Pœnum* *Annibalis* fratrem acie victum occiderunt, ad *Metaurum* ripas. Quæ clades *Annibalem*, viſo fratris capite, de fortuna *Carthaginis* deſperare coëgit. Item ulterius, quibus in campis *Totyla* Gothorum rex cruento prælio ſit ſuperatus à *Narſete* eunucho, *Juſtiniani* Imperatoris legato: cuius iſta præclara victoria iugum Gothicum ab *Italiae* ceruicibus ſublatum fuit, cum *Totyla* grauiſſe faucibus prælio in *Apennini* iuga fugiens, non procul à *Tiberinis* fontibus ad capras, velut à *Procopio* lib. III. *hiſtoriae Gothorum* narratur, vita deceſſiſſet.

S E N O G A L L I A

Fſt oppidum celebre & peruetuſtū, *Sena* prius à conditoribus Gallis *Senonibus*; dein ad differentiam alterius eiufdem nominis, quæ in *Etruria* eſt, *Sena Gallia*, nuncupata, cum adhuc *Aeſis* fluvius *Italiam* à *Gallia* *Ciſalpina* diſcerneret. Hinc *P. Dolabella* conſule *Senonibus* ad interneccionem extinctis, eorumque agris occupatis, Romanorum eſt Colonia facta ſi-